

bat castella in circuitu docens, Marci VI. circumibat in passione, ut ovem perditam quæret per tristissima itinera, de cœnaculo in Olivetum, de Oliveto raptabatur ad Annam, de Anna ad Caipham, de Caipha ad Pilatum, hinc ad Herodem, hinc rursus ad Pilatum, inde ad montem Calvarie. Et quam tristis hæc ultima fuerit processio, quam lugubris pompa, ubi innumera multitudo ex pluribus nationibus spectaculi causa comitabantur afflictissimum Dominum, quis explicare queat, ibi spectatores invidi Judæi: ibi ductores carnifices: famuli lictores: socii duo nequam: musica contumelia Judæorum et fletus matris ac mulierum propinquarum: ibi corollæ roseæ spinea corona: ibi cymbalorum sonitus, tintinnabula reis appensa ex more Romanorum: ibi vexillum crux in dorsa: ibi evangeliorum cantatio frequentes in terram lapsus. Hem quam lugubris pompa! Cogitate hæc, auditores, ac si vos interfuissetis, Et quid dicam de injuriis quas etiamnum suffert Christus in eucharistia ab hæreticis præsertim Calvinistis? Annon ipsi denuo sæpe Christum crucifigunt, dum pedibus conculcant et mille injuriis afficiunt? Has igitur injurias nos amici et servi Christi jure compensamus solemniter et gloriosa pompa publici circuitus; unde si aliquando raptatus fuit per plateas, nunc per urbium compita honorifice circumgeritur: si aliquando habuit spectatores invidos et irrisores, nunc habet venerabundos: si aliquando ductores carnifices, nunc principes et viros primarios: si aliquando famulos lictores, nunc honestos et armatos cives: si aliquando contumelias audiit, nunc audit symphoniam et tibicines: si aliquando gessit spineam coronam, nunc roseam et gemmeam gerit: si aliquando in suis humeris crucem ponderosam, nunc aliorum humeris præviam habet gloriosam: si aliquando socios fures, nunc viros religiosos: si aliquando tintinnabulum maleficorum, nunc cymbala, etc. Quemadmodum enim Joseph, licet innocentissimus, prius a fratribus somniator et impostor habitus, deinde in cisternam dimissus, mox Ismaelitis venditus, posthæc in cophinis manuum labore occupatus, paulo post carceri mancipatus; ad extremum tamen adeo exaltatus fuit a Pharaone, ut jam non impostor aut somniator, sed salvator mundi dictus sit: non jam demissus in cisternam sed ad secundum a rege solum evehctus; non jam ipse venditus, sed venditor esset regii frumenti; non jam in manibus suis sportulas, sed sceptrum ferret et regis annulum; non jam in carcerem compactus, sed in currum regium evehctus per urbem deduceretur, et ab omnibus flexis adoraretur genibus velut præpo-

situs totius Egypti. Ita jure meritissimo compensat Ecclesia Christo priores contumelias, quas ipse pertulit a reprobis. Quamquam si consideres, quam etiam nos catholici sæpe Christum negligamus, vel inciviliter aut etiam indigne tractemus, absque dubio fatebimur, nos omnem istum honorem, quantumcumque exhibere possumus, jure illi debere. Toto pene anno negligimus humillimum Dominum in sacrario repositum et pro nobis pervigilantem: quoties eo indigemus ægri, ad aedes nostras evocamus; multi debitam ei reverentiam non exhibent, aliqui etiam indigne sumunt. Pensate annon defectus isti resarciri debeant? Itaque pro eo quod a multis negligitur, spernitur et offenditur innocentissimus agnus, nos vicissim monet Ecclesia, ut semel in anno saltem publice reddamus ei honorem, ut cum magis honoremus modestissimum regem sub tam infantili panis specie latentem, quem cum Judæis negligunt hæretici; cum latrone confiteamur in abjecta præsentem formam, quem ejus hostes, velut Scribæ et carnifices subsannant. Placuit Christo confessio latronis, placebit etiam processio hæc solemniter.

V. Ut hoc munimento urbes et oppida nostra muniamus contra hostium incursus, ideo circum urbes et in plateis ejus eucharistiam circumgerimus, non quasi ab hac circumgestatione pendere existimemus nostram salutem; sed ut hac cæremonia partim Christum adorneamus, supplicando ut fines et domos nostras tueatur, partim ipsam plebem, ut hoc ipsum a Christo instanter petat. Constat ex II. Reg. VI. quod benedixit Deus Obededom et omnia, quæ ejus erant propter arcam fœderis receptam in aedes suas; qua re audita, David statim reduxit eam in civitatem suam. Quis ergo nobis succenseat, si hoc speremus ab ipso Christo in eucharistia, quod acceperit Obededom et speravit ab arca David? Experta est hoc præsidium ss. eucharistiæ S. Clara, apud Sur. 22. aug. quæ dum Saraceni irruerent in Assisium civitatem, adeoque in monasterium, ss. eucharistia prælata ad fores descendit, et dum Christum precaretur, ne traderet ancillas suas paganis, audivit quasi vocem pueruli: *Ego vos semper custodiam.* Appreçante illa: *Mi Domine, et hæc si placet protege civitatem, quia nos pro amore tuo sustendat, rursus audivit: Gravamina sustinebit, sed meo munere defendetur.* Nec mora, statim enim canum illorum repressa pavescit audacia, et per muros, quos jam ascenderent, celeriter exeuntes sacramenti et orantis virtutis deturbati sunt. Experti Christiani in regno Valentie, apud Luc. Marinæum, l. V. de rebus Hispan. cap. de sacris ædibus, quando anno Domini 1239. Tiderunt

Saraceni consecratarum aliquot particularum veluti vexilli cujusdam ostentatione perterrefacti, ipsi pene innumeri paucis nostris terga vertunt. Denique, si tantum præstitit imago faciei Christi Abagaro Edessæ regi transmissa ab ipso Christo, ut Casthæ Persarum rege Edessam obsidente cum imago ab Eulalio episcopo super muros urbis circumferretur, machinas hostiles combusserit et ignem in pyra contra incolas a Persis excitatum, in ipsos hostes verterit eosque exusserit, ut olim Chaldæos, Dan. III. apud Niceph. l. XVII. c. XVI. quid non sperare possumus ab ipsamet Christi reali præsentia in eucharistia?

## CONCIO VIII.

QUA RATIONE CHRISTUS SIT SEMPER CUM ECCLESIA SUA.

I. Per conservationem. — II. Per singularem directionem. — III. Per protectionem specialem. — IV. Per amorem et benevolentiam. — V. Per paternam correctionem. — VI. Per realem suam præsentiam in eucharistia.

## THEMA.

*Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem sæculi.* Matth. XXVIII.

Ezechiel propheta cum cap. ultimo descripsisset divisionem Jerosolymæ in duodecim portas seu egressus ad omnes tribus, concludit librum suum his verbis: *Et nomen civitatis ea illa die: Dominus ibidem.* Quod quidem imperfecte competit Jerosolymæ, in qua Deus habitavit modico tempore, scilicet ab Esdra usque ad Titum et Vespasianum: perfecte vera competit Ecclesie, imò de ea sola intelligit S. Hieronymus et cum eo multi, quoniam sola Ecclesia est, cum qua Dominus constanter se permansurum promisit in hodierno evangelio. Et hinc apposite, postquam suis apostolis demonstrasset exitum in universum orbem: *Euntes docete omnes gentes, etc.* ita concludit sermonem suum: *Et ecce ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem sæculi.* Atque ita claudit evangelium suum Matthæus, uti prophetiam suam Ezechiel. Ecclesia ergo civitas illa est, cujus nomen: *Dominus ibidem.* Sed qua ratione? Audite.

I. Semper est cum Ecclesia per conservationem, quæ eam ita semper illibatam conservat ut nunquam deflere possit. Hoc enim convincunt verba thematis propositi. Nam si aliquando Ecclesia defecisset vel deficere posset, quomodo Christus omnibus diebus cum illa foret usque ad consummationem sæculi? Quis enim esse potest cum eo, qui non est? Neque dicat, de apostolis tantum locutus; quia apostoli non

erant victuri usque ad consummationem sæculi. In illis igitur velut primitiis Christianorum, totam intelligit Ecclesiam. Unde patet primo, Ecclesiam catholicam esse veram Christi Ecclesiam, quia ea sola ab apostolis serie nunquam interrupta deducitur, ac proinde cum ea Christus semper fuit. Sectæ hæreticorum antiquæ uti non a Christo cœperunt, ita nec cum illo semper fuerunt, sed interierunt. Patet secundo, hæreticos nostri temporis non esse in Christi Ecclesia; quia cum illis non fuit semper Christus, siquidem ante Lutherum ipsi non fuerunt. Ostendant enim fidei suæ continuationem et derivationem per singula sæcula: ostendant quibus annorum centuriis, quinam patres docuerint in eucharistia non esse verum Christum, aut non nisi in sumptione, missam esse idololatriam, papam esse antichristum, sanctos non esse invocandos, non esse liberum arbitrium, non operum merita, Deum esse auctorem peccatorum, etc. Hoc ergo cum facere nequeant in hanc angustiam compelluntur, ut dicant Ecclesiam Christi deficere posse et defecisse a tempore Gregorii Magni usque ad tempora ipsorum. Itaque per illos Christus deseruit Ecclesiam sponsam suam annis 900. circiter: portæ inferi prævaluerunt contra eam: corruit columna et firmamentum veritatis, 1. Tim. III. delituit magistra fidei et doctrix veritatis, quam Christus adiri in dubiis et difficultatibus, audiri que jussit, Matth. XVIII. Quæ omnia expresse contra sacram Scripturam pugnant et mendacem faciunt Deum.

II. Per singularem directionem, quia ita eam dirigit, ut errare et seduci in rebus fidei non possit. Unde imprimis et specialiter adest summo pontifici: non nisi salutaria et fidei conformia decreta facere ac publicare, adeoque Ecclesie navem ne evertere possit. Abrahamo patri fidei promisit olim Deus, Gen. XV. *Noli timere Abraham, ego protector tuus sum, juxta translationem Septuaginta interpretum: Ego hyperaspites tuus, qui scilicet te præcedo uti capitaneus suum agmen.* Idem Petro tamquam altari fidei, patri, ac petreæ ejusque successoribus promisit Christus, Luc. XXII. *Rogavi pro te, Petre, ut non deficiat fides tua: et tu aliquando conversus confirma fratres tuos.* Quæ oratio Christi efficax profecto est, nunquam enim permisit ut quisquam pontifex Romanus hæreticum quid decerneret aut credit præciperet. Fuit aliquando Ecclesia in magno timore, cum Vigilium hominem ambitiosum et malum Theodorem Augustæ hæreticæ fautorem ceteroqui catholicum coacta est recipere et eligere in papam; sed is magno omnium stupore repente mutatus in alterum virum hæreticos Theodorem studiosos, demumque ipsam etiam Theodorem condem-

navit, nihil veritus ejus insidias, Baron. an. 540. Novimus S. Gregorio papæ scribenti et dictanti adfuisse per Spiritum sanctum specie columbæ sedentis ad ejus aurem (non utique qualem Mahumetes instruxit ut ipsi concionanti in humerum involaret rostroque aurem peteret, ex qua eam pascere consueverat: nec qualem vidit Maximilianus I. imperator, anno 1518. Augustæ in comitiis prandens Lutheri humeris insidentem; erat enim diabolus, uti testatus est Baroni de Erpach, ut alibi dixi). Ejusdem columbæ specie adfuisse Fabiano, Eugenio et Gregorio VII. pontificibus, alibi vidimus. Alios aliis modis direxit, duxitque tamquam hyperaspistes eorum, ut discernere inter Concilia et conciliabula, ea approbare, hæc damnare, et reprobare, aliaque fidei dogmata definire possent. Nisi enim hoc desuper eis datum esset, quomodo Ecclesia non everteretur, cum Concilia errare possint et erraverint?

Quinetiam in communi aliis Ecclesiæ ministris adest peculiariter, ducendo eis manus uti ne facile errent in administratione sacramentorum, in docendo, in servando confessionis sigillo, etc. Tametsi enim interdum accidit, ut errores aliqui per eos committantur, negari tamen non potest, rarissime contingere: et quantumlibet alioqui flagitiosi sunt sacerdotes, vera tamen et salutaria prædicare, sacramenta rite administrare, confessiones non revelare, etc. Sane aliquando S. Uldarico sacris operante visa Dei manus simul cum illo operari; utique ad confirmandos fideles, ne in sacerdotum ministerio diffidentiam aliquam ponant.

III. Per protectionem specialem. Hanc significat illa seps (Isa. V. Matth. XXI. (quam circumdedit vineæ suæ angelorum videlicet et sanctorum custodia, quorum interventu Ecclesiæ suæ adest in afflictionibus et periculis præsertim bellicis non minus quam olim in veteri lege per columnam ignis et nubis. Sic adfuit Constantino M. prælianti contra Maxentium? Ecclesiæ hostem. Visi enim exercitus qui se divinitus missos præ se ferebant dicentes: *Constantinum petimus; Constantino imus auxilio, etc.* ut narrat Nazarius, in panegy. apud Baron. anno 312. sic Nolanis obsessis a barbaris adfuit S. Felix martyr et patronus eorum et suppetias visibiliter tulit, ut scribit ad Paulinum Augustinus, l. de cura pro mort. c. XVI. sic S. Ambrosius flagello insecutus est hostes Medionalum, cujus ipse patronus et episcopus erat, obsessentes: sic adfuit Edessanis contra Cosrhoen regem Persarum, quando beneficium imaginis suæ omnes hostium aggeres accendit et in cinerem redegit, apud Baron. an. 543. sic Theodosio contra Eugenium tyrannum, cum ei duos viros candido amictu et in equis

albis misit, duces et antesignanos exercitus: erant autem Joannes evangelista et Philippus apostolus, Theod. l. V. c. IV. sic Theodosio juniore per angelos contra Persas, apud Nicephorum, l. XIV. Sergiopoli contra Saporem Persarum regem interventu S. Sergii martyris: sic Ramiro regi Gallicia ductore S. Jacobo in equo albo et cum vexillo albo viso præliari in aere contra Mauros, quorum uno prælio cecidit 70000. apud Baron. anno 844. item Ramiro alteri regi Legionensi, qui præviis angelis sub forma equitum victoriam etiam ingentem obtinuit de Mauris barbaris cæsis octoginta millibus, capto rege eorum Abenain, Baron. anno 938. Alia plura vide in Thoma Bozio, de sign. Ecclesiæ, to. II. l. XVII. c. VII. signo LXXIX. Nostris temporibus adfuit obsessis in Sabaria oppido contra Turcas, misso in aere equite, qui stricto gladio hostes ab obsidione depulit et in fugam vertit: creditur is fuisse S. Martinus, Sabaria oriundus, Rhodiensibus item et Melitensibus per S. Joannem Baptistam (uti creditur) militum illorum patronum, ut ibidem refert Bozjus. Quæ omnia ostendunt Christum cum Ecclesia nostra esse et a partibus ejus stare, cui sanctos suos misit in subsidium. Ostendant horum aliquid hæretici, et credemus Christum esse cum ipsis. Certe tot historiis probatis fidem abnegare, temerarium est. Neque dicent: Dæmones illos fuisse qui sanctorum imagines repræsentarint; qui enim fieri potest ut dæmon stet pro Christo contra suos? Certissimum enim est, victoriis illis amplificatum esse regnum et cultum Christi, dæmonis vero imminutum. Numquid contra seipsum erit dæmon, vel dæmones contra dæmones? Quomodo namque hoc pacto staret regnum ejus? Et licet ipsos inter se etiam discordes esse demus, omnes tamen adversus Christum conspirant.

IV. Per amorem et benevolentiam, quæ eam super alia regna et imperia alienarum sectarum complectitur. Imprimis eam locupletavit innumeris prædiis et possessionibus, quando opulentissimos quosque excitavit, qui fundarent episcopatus et monasteria maximis redditibus, privilegiis, juribus; necnon in communi ministris Ecclesiæ de abundantia sustentatione providit.

Secundo, principes catholicæ religionis maxime studiosos et defensores valde protexit et exaltavit. Ita imprimis Constantinum et Carolum, ambos cognomento Magnos, qui cum Ecclesiæ acerrimi defensores essent, Dei adjutorio maxima præstiterunt et mira felicitate dominati sunt. De Constantino scribit S. Augustinus, l. V. de civit. c. XXV. « Constantinum imperatorem non supplicantem dæmonibus sed ipsum Deum verum colentem, tantis terrenis implevit Deus muneribus quanta optare nullus auderet. Universum orbem

Romanum unus Augustus tenuit et defendit, in administrandis et gerendis bellis victoriosissimus fuit, in tyrannis opprimendis per omnia prosperatus est: grandævus ægritudine ets enectute defunctus est, filios imperantes reliquit. » Ita Theodosium utrumque, quorum seniori ita favit Deus, ut hostium tela durante prælio in ipsosmet auctores retorquerentur, ut ibid. c. XXVI. scribit S. Augustinus: juniore vero ita, ut ipso domitante exercitus ejus foris vinceret et circiter centum millia Saracenorum ab angelis in Euphratem agerentur, teste Socrate, l. VII. hist. XVIII. ita Honorium imp. qui Dei ope uno prælio plusquam centum millia Gothorum stravit, nemine ex suis cæso, auctore August. loco cit. c. XXIII. ita Justinianum et Heraclium, quamdiu catholici fuere; at ubi in hæresin lapsi sunt, infeliciter regnarunt, teste Evagrius et Zonara.

Tertio, in nuperis tumultibus bellicis tam aperte ostendit Deus favorem suum erga Ecclesiam catholicam, ut ipsi etiam adversarii nostri dicere coacti sint, Deum his temporibus fuisse papistam. Nam victoriæ omnes (ab anno 1620. usque ad 1628.) a nobis obtendæ sunt contra diversos exercitus et duces, qui extrema sua tentarunt, et tamen ita fracti sunt, ut vires suas colligere et redintegrare exercitum minime potuerint, hodieque delitescant velut aves deplumata. Goliathum proprio jugulare gladio possemus. Gratias hæreticis quod fateantur, Deum saltem aliquando fuisse Padistam; nam si aliquando fuit, semper fuit et erit: *Ego enim Deus, et non mutuo, inquit.*

V. Per paternam correctionem. Nam, uti pater magna quidem amoris signa exhibet filio, nihilominus tamen subinde quem amat castigat, ut a vitiiis ad virtutem retrahat: ita agit cum Ecclesia sua Christus, cui dudum prædixit omnis generis adversitates et persecutiones. Ipse enim est, de quo S. Joannes Baptista ait, Luc. V. *Cujus ventilabrum in manu ejus, et purgabit aream suam.* Cum enim in Ecclesia etiam per diuturnam pacem et quietem succrescere soleant vitia, subinde ventilabrum adhibuit Christus ad purgandam illam. Imprimis quando sub Philippo I. christiano imperatore, virtus et vigor fidelium in pace elanguerat, Deus immisit Decium et Valerianum, qui gravi persecutione eos suscitarent et cote tyrannidis acuerent, ut docet S. Cyprianus, ser. de lapsis; quod et revelatio ne didicisse se narrat, l. IV. ep. IV. ostensum videlicet sibi paterfamilias, cum sedente sibi ad dextram juvene anxio et cum quadam indignatione subtristi, maxillam tenente manu. « A ministris alius consistens rete portabat, quod semittere, ut circumstantem populum caperet,

minabatur. Et cum miraretur quid hoc esset, dictum est ei: Juvenem qui ad dextram sic sederet, contristari et dolere, quod præcepta sua non observarentur: illum vero in sinistra exulare, quod sibi daretur occasio, ut a paterfamilias potestatem sumeret sæviendi. » Eusebius, l. VIII. hist. 1. causam persecutionis Diocletiani assignat vitiatos ecclesiasticorum et laicorum mores ex longa pace et libertate profectos: *Dum alter alteri, inquit, invidemus, dum principes cum principibus, populi cum populis seditiones et certamina concitamus, etc.* Itaque pacis et prosperitatis tempore multum paleæ crescit in Ecclesia. Idcirco tribulationis ventilabrum adhibetur, ut paleam a tritico separet, illam abjiciat, hoc purget. Ac sicut tempore Decii imp. « Ad primum statim verbum minantis inimici maximus frater numerus fidem suam perdidit, nec prostratus est persecutionis impetu, sed voluntario lapsu se ipse prostravit, etc. quasi hoc olim cuperent, quasi amplecterentur occasionem datam, quam semper optassent, » ut notat Cyprianus, ser. prædicto: ita evenit tempore Lutheri, Calvinii, Zwinglii. Defluxerant fideles ad luxum, ambitionem, avaritiam, contemptum rerum sacrarum, neglectum sacramentorum, etc. idcirco aream suam purgare voluit Deus; ut palea quidem, id est, homines leves et parati circumferri omni doctrina, parati jam ad volandum, modo ventus adesset, ab Ecclesia avolarent: reliqui in fide confirmarentur et proficerent. Ita omnino ante paucos annos purgavit rursus Ecclesiam suam, cum eam affligere et opprimere cœpit per hæreticos inquilinos, qui catholicos de fenestra dejicerent, in exilium pellerent, jugularent, regnum Bohemiæ occuparent, ecclesias profanarent, etc. Sed fuit hæc paterna castigatio: nam moto in Germania bello triticum catholicorum purgavit, et paleam hæreticorum excussit ex Austria, Bohemia, Palatinatu, etc. Fuit quidem hæc purgatio, nobis virga et castigatio aliqua, sed salutaris et paterna, uti nunc agnoscimus.

VI. Per realem et corporalem præstantiam in s. eucharistia. Voluit enim hac mira et speciali ratione manere semper cum Ecclesia sua. Primo, ut quemadmodum in cœlis adoratur et colitur a beatis spiritibus, ita etiam a nobis coleretur in terris impensius; tametsi ab illis clare, a nobis obscure et per fidem tantum cernitur. Multum enim facit præsentia ducis aut regis ad milites vel subditos coercendos in obedientia, timore et disciplina, quando hic et nunc scitur esse præsens. Decet autem ut quoniam eadem est Ecclesia, militans et triumphans, eundem regem suum utrobique colat et veneretur enixissime. Alioqui multi dicerent aut cogitarent illud

Job XXII. *Nubes latibulum ejus, nec nostra considerat, et circa cardines cœli perambulat.* Nunc vero etiam in terris habemus Deum nostrum; et ut cum S. Chrysostomo, hom. XXIV. in 1. ad Corinth. loquar: *Dum in hac vita sumus, ut terrâ nobis cœlum sit, facit hoc mysterium.*

Secundo, ut afflicti et angustiati majori confidentia ad ipsum confugeremus et auxilium speraremus. Hanc etiam ob causam fabricari Deus arcam voluit in lege veteri tamquam currum triumphalem, in quo suam præsentiam, opem et triumphum gloriosum exhibeat. Erde Deut. IV. ait Moyses: *Non est alia natio tam grandis, quæ habeat deos appropinquantes sibi, sicut Deus noster adest cunctis obsecrationibus nostris.* Sed multo magis hoc dicere nos Christiani possumus, quibuscum in sacramento vere et corporaliter habitat Christus, (non angelus) Deus et homo. Quare uti David, in spelunca Odollam latens, factus est princeps afflictorum (convenerunt enim ad eum omnes qui erant in angustia constituti, et oppressi ære alieno et amaro animo) 1. Reg. XXII. ita Christus in eucharistia, quæ est memoriâ mortis ejus (sicut Odollam significat testimonium seu ornamentum miseriæ suæ) delitescens, tamquam rex omnium miserorum expectat omnium querelas et supplices libellos. Quare sibi dictum putent fideles in Ps. LXI. *Sperate in eo omnis congregatio populi, effundite coram illo corda vestra: Deus adjutor noster in æternum.* Apagite vos Lutherani, qui hanc Christi familiaritatem nobis invidetis. Vel enim non potuit permanenter esse in eucharistia, vel non voluit. Non potuit? Quomodo ergo est omnipotens? Quomodo potest ibi esse dum sumitur? Non voluit? Atqui summe bonus est: et quid ejus bonitati conformius, quam hoc tam salutare et gloriosum institutum?

Tertio, ut hac sua præsentia nos animaret ad pugnandum contra acies diaboli et fortiter patiendâ quævis adversa. Trogus Valer. lib. VII. narrat Argeum regem Macedonum reliquisse filium parvulum; et cum deinde Macedones contra Illyricos pugnarent et vincerentur mox se collegisse, et regium infantem in cunis coram acie constituisse et ita mox vicisse, insinuantes sibi regem, non virtutem defuisse. Hunc in modum nos nisi Christi præsentia in eucharistia animaremur, quoties in adversis heu succumbere-mus! Quare voluit Christus tametsi instar infantis in eucharistia inter nos versari, ut ne deficeremus, sed fortiter ageremus, scientes coram esse aganohetam nostrum, qui ad militiam nostram attendit et coronas nobis parat. S. Petrus videns admortem duci uxorem suam, hac voce eam animavit: *Heus, tu memento Domini, teste Clemente Alexandr. 1. VII. Strom. Tu*

quoque memento Christi præsentis in eucharistia.

Quarto, in ejus memoria continuo versaremur. Solet discedens ab amico relinquere ei in memoriam seu memoriale aliquod, quo semper ipsius memor esset. Christus in cœlum a nobis recedens reliquit nobis corpus suum miro amoris annulo mirifice inclusum.

Quinto, ut probaret seu exerceret potius fidem, devotionem et religionem nostram erga ipsum: idque non tam ob gloriam suam, quam utilitatem nostram. Quemadmodum enim benedixit domui Obededom, quod arcam fœderis in domum suam recepisset ibique reverenter habuisset: ita benedicere etiam disposuit nobis, si ipsum hic velut regem nostrum deceater et obsequiose colamus, ejusque mensæ quasi aulici assistamus. Experiri igitur vult utrum Dei Filio asserenti se contineri in eucharistia, credere velimus, qui in primis nostris parentibus credidimus serpenti asserenti ligno vetito inesse vim deificandi: experiri vult, quanta reverentia ejus missæ quasi mensæ assistamus; quam avidè et quam frequenter ad hanc ejus mensam accedamus; quâ devotione et præparatione de ea participemus; quam ornatum et honorificum ei locum in templis assignemus et qualem domum ei edificemus; quam reverenter eum ibi visitemus et salutemus; quâ pompa eam in processione solemnè circumgestemus et comitemur; quâ humilitate et devotione eum adoremus, cum per plateas ad ægros deportatur. Hæc et his similia omnia nunc observat, suo tempore remuneraturus. Dicit enim ad fideles servos: *Hospes in terra vestra fui, nudus fui, captivus fui; et vos collegistis, operuistis et visitastis me: Venite benedicti.* Contra ad reprobos: *Hospes vester fui, nudus et captivus; et vos non recepistis, nec operuistis, nec visitastis me: Discedite maledicti.*

#### CONCIO IX.

QUA RATIONE CHRISTUS SIT CUM SERVIS SUIS JUSTIS.

I. Per singularem directionem. — II. Per singularem protectionem. — III. Per consolationem in tribulationibus. — IV. Per amorem et benevolentiam. — V. Per paternam correctionem. — VI. Per sufficientem sustentationem.

#### THEMA.

*Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem sæculi.* Math. XXVIII.

Hodiernum evangelium docet nos, auditores, non errasse Isaiam prophetam, quando, cap. VII. scripsit, *Christum vocandum esse Emmanuel.* Voluit enim dicere (per Hebraismum) fore Em-

manuel, id est, *Deum nobiscum*, sicut, et cap. VIII. dixit vocandum ei nomen: *Accelera, spolia, detrahe, festina prædari*: et c. IX. vocandum esse *admirabilem, consiliarium, Deum fortem, principem pacis, patrem futuri sæculi.* Ex hodierno vero evangelio discimus Christum esse illum Emmanuel, quia ad cœlum ascendens dixit: *Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem sæculi.* Porro multis modis Christus est nobiscum: per realem præsentiam in eucharistia, per suum evangelium, per suos vicarios et ministros, per suam providentiam et paternam sollicitudinem cum justis præsertim, de quâ postrema præsentia aliquid nunc dicamus.

Quibus modis Christus fuit cum discipulis cum adhuc in terris degeret, eisdem etiam credendus est esse adhuc cum justis.

I. Fuit cum discipulis per singularem directionem, dum omnia quæ audivit a Patre suo, nota illis fecit, dum instruxit eos in officio apostolico, dum docuit orare, dum gladium Petri inhibuit, et iram filiorum Zebedæi refrænavit, per omnes denique vias præeundo duxit, etc.

Hoc pacto fuit cum magis, quando eos stella duce duxit ad præsepe suum, et reduxit angelo monitore per aliam viam, ne redirent ad Herodem qui ipsis positurus erat insidias. Sic fuit cum S. Petro, quando eum Romam duxit ad martyrium: et volentem inde discedere ac differre adhuc passionem suam, apparuit ei extra urbem dicens: *Vado Romam iterum crucifigi*, indicans eo verbo, tempus jam adesse, ut sequeretur eum Petrus in martyrio, seque nunc in illo velle crucifigi, Hegesipp. de excidio Jerosol. Sic direxit S. Ignatium societatis Jesu fundatorem, cum is aliquando Maurum in Deiparam blasphemum insequi et gladio mulctare cogitaret; abductus enim est in viam alteram præter opinionem et consilium suum ut ab oculis Maurum perderet, ne quid gravis peccati committeret in eum, Maff. in vita, l. 1. c. III. Quis neget a Christo ductam fuisse Mariam Magdalenam cum Martha, Lazaro et Maximino, quando navi imposita sine gubernatore et gubernaculo feliciter Massiliam deducta est, apud Baron. anno 35. Audiamus S. Paulinum, in epist. ad Maccarium scribentem de quodam sene catechumeno, qui in baptismo postea vocatus est Victor. Hic enim in navi solus, vi tempestatis abreptus sine temone, sine cibo, sine ulla hominum opâ totis viginti tribus diebus in mari jactatus, a Deo et angelis protectus, pastus et deductus est. « Ipse enim Christus, ait Paulinus, nunc suo vultu cõruscus, nunc S. Felicis ore venerabilis sedebat in puppi, senemque allectabat, qui inter ejus genua caput reclinabat, vidit et sæpius angelos

excubare navigio, et cuncta nautici muneris administrare: nec sane navim illam nisi angeli naturæ ducebant, cui gubernaculum erat mundi gubernator. Viginti tres dies homo non modo a terris, sed ab hominibus exclusus, omnium ventorum ludibrium, omnis terræ exul, diversi maris hospes, et exors generis humani, inter fluctus, et belluas maris, in vago erraticæ navis hospitio, jejuniis, senio, timore confectus, quæso te, numquid natura sua perduravit? Cui ergo obscurum sit, Deum in illo fuisse? Cui primo ad urbem acta, Romani portus pharum vidit: deinde Campaniam longis tractatibus legit mutatisque turbinibus in Africæ litora transvolavit, atque ab ipsis rursus abrepta, Siciliam transeurrit, ita freta sulcans, ut quasi divina navis, et immisso divinitus spiritu sapiens, sua sponte cavenda vitaret, sequenda peteret. Tandem finem errorum atque discriminum in Lucanis posuit littoribus. Ibi enim piscatorum opem inclamans senex, ab iis navi in litus protracta, portum vidit. Quocirca Deo gratias agens baptismò suscepto, vitam christianam et sanctam instituit. » Fusc hæc et eleganter narrat Paulinus. Ita fideles suos regit Deus, qui: *Deducit velut ovem Joseph.*

II. Per singularem protectionem: cum in mari periclitantibus opem tulit; cum protexit eos in monte Oliveti imperans cohorti: *Sinite hos abire*, quod et factum est; cum a Judæorum furore tutatus; cum eripuit sæpe e carceribus, etc. Ita fuit Deus olim cum Abrahamo, cui dixit, Genes. XV. *Nolite timere Abraham, ego protector tuus sum*, Heb. *ego sum clypeus tuus*, Septuaginta habent: *Ego hyperaspistes tuus*, seu *præambulo*. Sic protexit Deus Jacob patriarcham ab ira Laban soceri persequentis illum. Præmonuit enim Laban in somnis, ne ei quidquam mali faceret, ne aspere ei loqueretur, Gen. XXI. sic Davidem ab ira et persecutione Saulis, 1. Reg. XXIII. quando Saul in modum coronæ eum cinxerat: interim Deus immisit Philisthæos in terram Saulis, et nuntium qui id Sauli nuntiaret; ex quo coactus est Saul recedere ab obsidione Davidis: sic protexit Elisæum a Syris ad necem eum quærentibus, percutiendo eos cæcitate, IV. Reg. VI. simili modo Loth a Sodomitis, Gen. XIX. Sed jam ad novam legem. Sic protexit Christus Gregorium thaumaturgum Neocæsareæ Ponti episcopum. Cum enim is cõmte suo diacono persecutores fugiens, in montem ascendisset et orasset, proditus est a quodam persecutoribus, et in monte undique cinctus. Sed cum eum quærerent, duas tantum arbores juxta se positas viderunt. Proditor contra Gregorium cum diacono ibi esse testabatur; sed cum persecutores dicerent se homines non vi-